



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio VII. Vtrùm per actus intuitivos, ut per visionem beatificam,
contingat efformari distinctio rationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

divisibilem tamen in plures formalitates per rationem, verum de hoc agitur.

Ad argumenta secunda sententiae respondeo ex Aegidio *num. 32.* negando absolute minorem, quia ens, & distinctio sunt disparata, nam unum est subiectum, & alterum passio.

43 Secundo respondeo *num. 33.* concedendo totum distinctionem pro ea, quae est à parte rei, & negando pro ea, quae inter rem, & rem, quia saltem est habitudo ad distinctionem virtuales, quae est à parte rei.

44 Neutra solutio mihi placet, quia eo modo est aliquid distinctum, quod est ens, cum distinctio sit passio entis, neque in isto sensu dici potest, quod sint disparata, accedit quod sicut ens rationis est ad instar realis, defectibiliter ipsum imitando, ita distinctio rationis est ad instar distinctionis realis, quod quodammodo adumbret: ergo non potest negari absolute maior.

45 Secundo, quia hic loquimur de distinctione rationis, propterea complectitur utramque distinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinatae: sed in isto sensu non potest recurri ad distinctionem virtuales à parte rei, quia distinctio rationis ratiocinantis non habet pro fundamento hanc virtuales distinctionem: ergo accedit quod distinctio actualis mentalis non fit ad instar distinctionis virtualis, & per analogiam ad illam, sed ad instar distinctionis actualis, quia actuale non imitatur virtuale, & univrsim loquendo ens rationis actuale fit ad instar entis realis actualis: admittit ergo maiore quod sicut ens rationis ad distinctionem realem, non potest interpretari, ita habitudo, & sinceritas distinctionis rationis, in minori ad distinctionem à parte rei virtuales.

46 Respondeo ergo concessa maiore distinguendo minorem, in actu signato concedo, in actu exercito nego, hoc est, quod sicut ens rationis in seipso est tale per habitudinem, & analogiam proportionalem ad ens reale, quod defectibiliter imitatur, ita distinctio rationis in seipsa propterea talis est, non potest intelligi nisi per analogiam, & proportionem ad distinctionem realem, cuius fit imperfecta quaedam limitatio, cum hoc tamen fiat, quod quando actu producit huiusmodi distinctio rationis per divisionem mentalem extremorum, quae in se sunt identificata, non sit necessarium recurrere intellectum ad aliqua, quae realiter distinguantur tanquam ad fundamentum, quo excitetur, & promoveatur, ad huiusmodi distinctionem, quia neque isto sensu sic semper se habet ens rationis ad ens reale, multae enim sunt primae intentiones, quae fundantur in alijs secundis intentionibus; dempsi hanc doctrinam ex Aegidio ubi supra ad 5. *num. 39.* quam miror certe huic argumento non applicuisse, sed ad alias minus probabiles recurrere solutiones.

Ad confirmationem concedo totum in sensu nuper dicto, quia solum probat distinctionem rationis sumptam, per se ipsam in actu signato non posse cognosci nisi in ordine ad distinctionem realem, ad cuius analogiam dicitur distinctio inde autem non potest inferri nihil posse distingui secundum rationem, nisi per habitudinem ad distinctionem realem, quae inter duo aliqua reperitur, nisi fiat transitus de conceptu ipsius distinctionis pro seipsa in actu signato, ad conceptus ipsos extremorum distinguuntur disparata illatione.

Et est instantia manifesta distinctio rationis ratiocinantis, cum induat rationem distinctionis rationis, etiam est talis per analogiam, & habitudinem ad distinctionem realem, quam defectibiliter imitetur, et si haec distinctio quando in actu exercito, & practice cognoscitur, tantum abest ut requiratur aliam distinctionem realem, tanquam fundamentum, quo intellectus excitetur, & promoveatur, quin potius huiusmodi fundamentum excludit ut supra vidimus: non ergo ex eo quod distinctio rationis in communi, & in actu signato, non possit speculative cognosci, nisi ad instar distinctionis realis, quod proportionabiliter imitetur, recte deducitur quod quando in actu exercito, & practice attingitur, egeat intellectus necessario recurrere ad extrema quae realiter distinguantur. Ad 2. negatur inductio, quia in hoc intervenire constantia progressus quod in hoc argumento deficit, nam quamvis admittamus in animali, & rationali, albedine, & colore, puncto pro fine, & principio, loco pro termino à quo, & ad quem, negamus ita necessario venire in intellectu, & voluntate divina, sapientia, & bonitate tam divina, quam creata, ut supra satis, ut enim habemus ex D. Thom. de veritate, *quest. 3. artic. 2. ad 3.* non una solum datur causa plurificationis conceptuum, & distinctionis inde consequuta.

QVÆSTIO VII.

Verum per actus intuitivos, ut per visionem beatificam, contingat efformari distinctio rationis.

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

PRIMA sententia est P. Vasquez disp. 117. tom. 2. prima pars, cap. 3. *num. 8. & 9. P.* Suarez lib. 1. de essentia Dei, cap. 13. & lib. 2. cap. 1. & 2. aliorumque plurium, qui omnes absolute docent per visionem intuitivam mentis repugnare, quod res quae per illam visionem videntur, distinguantur secundum rationem, sed necessario omnem cognitionem praescedentem unam rationem ab alia, ac dividendam secundum rationem unam, & eandem rem in duas obiective esse abstractivam: ex quo deducunt beatos per visionem beatificam, non distinguere secundum rationem attributa divina, ab essentia, & inter se; item & relationes à natura: haec sententia sic probatur.

Primo, distinctio rationis unius, & eiusdem rei in duas obiective provenit ex imperfecto, & inadæquato modo cognoscendi illam per alias scilicet species, & abstractivae: sed cognitio intuitiva est cognitio perfectissima, non abstractiva, neque per alias species: ergo.

Secundo si per visionem intuitivam contingat distinctio rationis ratiocinatae, Deus virescens seipsum intuitive efficeret hanc distinctionem inter sua attributa: sed evidenter constat ex dictis, in Logica, Deum non posse efficere hanc distinctionem.

distinctionem, neque aliud quodlibet ens ratio-
nis: ergo neque per visionem intuitivam contin-
gere potest distinctio rationis creata; maiorem
inde ostendo, quia repugnantia quare Deus non
possit efficere talem distinctionem, oritur inde,
quia Deus se ipsum intuitive contemplatur, ne-
que potest aliter, ac est in se intelligere.

4 Confirmatur primo, distinctio actualis per ra-
tionem non est in re, quæ per illam distinguitur:
sed solum est in ipsa denominatio quædam rea-
lis extrinseca, proveniens à diversis concepti-
bus formalibus, quos terminat: ergo requirit
realem distinctionem in ipsis conceptibus, quia
diversæ reales denominationes extrinsecae ab eo-
dem, & vno conceptu formali non possunt pro-
venire, cum denominatio extrinseca realis re
non differat à forma alicubi intrinsece denomi-
nante; tum sic, visio intuitiva est vna, & sim-
plicitissima visio: ergo non potest ipsa efficere di-
stinctionem rationis ratiocinata.

5 Confirmatur secundo, distinctio rationis ratio-
cinata est formaliter relatio quædam rationis
existens nostro modo intelligendi in extremo,
quod ab alio distinguitur per rationem, sitque
per notitiam simplicem comparativam reflexam,
supponentem duos actus inadæquatos rei, quæ
ad se ipsam provt subest diversis illis inadæ-
quatis actibus comparatur: ergo distinctio ratio-
nis non potest efformari per notitiam intuiti-
vam: patet consequentia, tum quia hæc non est
notitia comparativa vnius, cum alio: sed sim-
plicitèr visio rei in se ipsa, tum etiam quia non
est notitia reflexa; notitia enim proprie reflexa
terminatur ad rem; non provt est in se: sed provt
habet denominationem aliquam extrinsecam ab
alio actu mentis. Deinde, quia non supponit
duos actus inadæquatos, quia modus istæ cog-
noscendi est imperfectissimus, solumque haberi
potest de re, quando illam per alienas species re-
rum scilicet realiter inter se divisarum, cognos-
cimus: sed intuitiva visio est perfectissima, &
per propriam speciem: ergo.

6 Tertio sic probatur, distinctio rationis non est
absque respectu ad aliquam distinctionem rea-
lem, sive ad res, quæ inter se realiter distinguun-
tur, sit enim per species rerum realiter inter se
distinctarum: sed visio intuitiva sit per propriam
rei speciem quæ in se vna est indivisa, & non
plures: ergo distinctio rationis fingi non potest
per cognitionem seu visionem intuitivam.

7 Confirmatur ex D. Bernard. lib. 1. de conside-
ratione ad Eugenium Papam, paulo ante finem, do-
cente Deum à nobis viatoribus in plura dissecari
attributa, quia illum in via per ænigma, & spe-
culum per alienas scilicet species rerum creatarum
secundum rem inter se divisarum, & per ab-
stractivas cognitiones contemplatur quod non
contingit Beatis, quia ipsum Deum immediate
in se ipso, & non per alienas species speculantur:
verba D. Bernardi sunt: [Nobis, quia non pos-
sumus, cum Deo simplicitate contendere, dum
contendimus apprehendere vnum, occurrit ve-
luti quadruplicatum facit hoc speculum, &
ænigma per quod solum videre datur, cum au-
tem videbimus faciem ad faciem, videbimus sicuti
est, nec enim iam tum fragilis acies mentis nostræ
quantumlibet vehementer intendat, aliquatenus
resiliet desilietve in suam pluralitatem, colliget,
que se magis conformabitque unitati illius, vel
potius unitati illi, vt vna vni facies respondeat
R.P. Ildaph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

faciei: hæc D. Bernardus, quem ita exultat P:
Vasq. vt inde clare conetur ostendere, & Deum
in se non esse virtualiter, & æquivalenter di-
stinctum in plures perfectiones, nullum ad di-
stinctionem rationis ratiocinatæ fundamentum in
illo reperiri, totamque attributorum in Deo plu-
ralitatem, ab imperfecto viatorum cognoscendi
modo ortam, neque beatis possibilem; vtpo-
te iam extractis ab intelligendi hac imperfe-
ctione.

Quarto sic probatur, cognitio factiva distin-
ctionis secundum rationem est cognitio præcisi-
va vnius ab alio; sed cognitio intuitiva non est
cognitio præcisiua vnius ab alio, tum quia om-
nis cognitio præcisiua est abstractiva, tum etiam
quia cognitio præcisiua non terminatur imme-
diate ad rem sicuti est in se ipsa: sed provt obij-
citur intellectui nostro, quia si terminaretur ad
rem, sicuti est in se ipsa, cum in se ipsa res à se
ipsa non sit præcisa, illam non posset præscin-
dere: sed de ratione cognitionis intuitivæ est vt
terminetur ad rem, sicuti est in se ipsa: ergo.

Confirmatur, ideo Beati nec de potentia Dei
absoluta possunt videre essentiam absque attri-
butis, neque vnum attributum absque altero,
neque essentiam absque personis, & vnam perso-
nam absque altera, quia visio Beatorum est visio
intuitiva, terminaturque ad naturā divinam, pro-
vt est in se, implicatque ipsam esse præcisiuam:
ergo nulla visio intuitiva potest esse factiva di-
stinctionis secundum rationem. Patet conse-
quentia, quia nulla cognitio factiva entis ra-
tionis est quæ non sit formaliter præcisiua, vel
saltem præsupponat cognitionem præcisiuam
formaliter: ergo.

Quinto sic probatur, quia cognitio factiva en-
tis rationis, est cognitio reflexa supponens alias
directas, repræsentatque rem formaliter vt in-
trinsece affectam forma rationis, per illamque
existit hæc obiectiva in mente existentia propria
entis rationis: sed implicat cognitionem intuiti-
vam repræsentare rem sub forma rationis: vnde
illius rationis sit repræsentare rem immediate
provt est in se, res tamen pro vt est in se non est
affecta illa forma, seu denominatione rationis:
ergo.

Ultimo sic probatur, distinctio rationis non
est absque pluralitate reali cognitionum termi-
natarum ad diversas formalitates rei, quæ cog-
noscitur: sed hæc pluralitas esse non potest cum
visione intuitiva, quia visio intuitiva termina-
tur ad rem, sicuti est in se, atque adeo vna suffi-
cit vt omnes rei attingat formalitates: ergo.

Secunda sententia est P. Hurt. in met. disp. 6. sect. 12
6. subsect. 2. vbi ait absolute, & simpliciter posse
esse distinctionem rationis per actus intuitivos.

Probatum primo, quia cognitio, qua intuemur
albedinem sensam per oculos est intuitiva: sed il-
la cognitio distinguit ibi colorem à differentia
albedinis: ergo cognitio intuitiva potest distin-
guere obiectum. Probo minorem, illa cognitio
non repræsentat clare albedinem vt est albedo,
& repræsentat albedinem vt est color: ergo di-
stinguit colorem à differentia albedinis; antecede-
dens est notum, quia per illam cognitionem non
determinatur intellectus ad albedinem, nec scit
obiectum esse albedinem, cum sciat illud esse co-
lorem, at id fieri non posset si clare repræsen-
taret albedinem; probo consequentiam, quia di-
stinguere ratione est cognoscere obiectum se-
cundum

B b b

cundum unam rationem, & non secundum aliam.

- 14 Secundo probatur, intellectio immediate deducta ex sensatione externa est intuitiva, quia fit per propriam speciem obiecti, & fertur immediate in ipsum ut existens, & est præcisiua, ostendi enim sæpe representari colorem quin representetur distincte aliqua illius species infima: ergo cognitio intuitiva potest esse distinctio rationis; quod confirmatur ex S. Thom. *opus c.* 9. q. 1. ubi ait cognitionem comprehensivam esse perfectam imaginem obiecti; cæteras vero imperfectas, ex qua doctrina infert omnem creatam cognitionem de Deo esse imperfectam, quia non potest esse comprehensio; ex quo principio descendit ibi distinctionem rationis Petri Tarantasis, quod principium commune est cuius cognitioni.
- 15 Tercio sic probatur, quando Angelus se intuetur, ille actus non representat Angelum sub omni formalitate, quia illum non representat ut est principium illiusmet cognitionis, quia se ipsam non representat: ergo.
- 16 Confirmatur, tum obiectum ratione distinguitur, quando actus quibus concipitur adeo sunt diversi, ut alter sit omnino ignoratio prædicati representati per alterum, v. g. concipis animal conceptu animalis non potes scire, sitne homo, aut leo, & interrogatus de homine nescis respondere, nonne tunc distinguis animal ab homine? nam distinctio rationis est id, quo ratio facit unum non esse aliud in ipsa ratione, & conceptione: sed in eo casu ratio facit ne albedo in conceptione sit albedo, quia si cognitione ignoratur, non est in conceptione; ergo illa cognitio est distinctio rationis; nec video discrimen inter illud obiectum per illam cognitionem, & per alias, nec inter illud, & animal, & hominem.
- 17 Ultimo sic probatur, quia qui cognoscit intuitive hominem, non cognoscit omnes formalitates illius, quia non cognoscit ultimam differentiam illius, etiam si identificetur cum rationibus superioribus cognitis per talem cognitionem: atqui talis cognitio est distinctio rationis, quia per talem cognitionem cognoscit ea, quæ sunt idem tanquam si non essent talia, quia cognoscit unum sine alio, v. g. rationem genericam & specificam sine ratione differentiali, & individua quæ vere & à parte rei, ut dixi sunt idem, ergo.

SECTIO II.

Aliqua notantur breviter.

- 18 Advertendum est dari duplicem distinctionem rationis, alia quæ vocatur simpliciter, alia secundum quid, distinctio rationis simpliciter est, quæ cognosco aliqua quæ à parte rei identificantur, tanquam si non essent idem realiter, quod contingit propter imperfectionem cognitionis, ex eo quod talis cognitio fit per alienam speciem obiecti: exemplum huius sit opinio Scotica, quæ docet iustitiam, & misericordiam in Deo distingui ex natura rei, cum hoc à parte rei non ita contingat, sed potius oppositum, in illa enim suprema, ac sacrosancta Maiestatis natura, à parte rei omnia, quæ de intrinseca ratione illius sunt, sunt unus Deus, una simplicissima, ac indivisibilis natura divina secundum

illud, omnia quæ in Deo sunt, Deus est, ratione cuius nulla datur distinctio, sive realis, sive ex natura rei inter prædicata absoluta Dei; Scorus autem cum per alienam speciem cognosceret Deum, iudicavit ex vi suæ cognitionis dari distinctionem supra dictam inter divinam iustitiam, & misericordiam, ubi nulla distinctio: sed summa identitas reperitur, talis autem distinctio dicitur distinctio rationis, quia est distinctio causata per rationem, cognoscendo rem aliter ac est, id est sine identitate ex natura rei, & cum distinctione; unde talis distinctio cum non detur realiter, nec existat extra intellectum, & extra statum obiectivum, necessario debet habere totum suum esse intra cognitionem, & solum debet existere obiective in intellectu, cum autem omne ens quod hoc modo existit, dicatur ens rationis, hæc distinctio de qua loquimur, sine dubio dicitur distinctio rationis: hæc autem distinctio vocatur simpliciter, quia ex vi illius non solum in actu exercito distinguuntur, & separantur res, sed etiam cognoscuntur, ut actu distinctio, & quia in duplici statu intellectus est distinctio, & quia in omni genere est talis, & non cum addito diminutione, dicitur distinctio simpliciter per rationem, sicut homo qui secundum omnem suam partem extrinsecus apparentem est albus, vocatur simpliciter talis, quod minime contingit in Æthiopo, qui non simpliciter, sed cum addito diminutione, id est secundum dentes vocatur albus, & sic secundum quid dicitur talis. Alius exemplum, iustitia, & misericordia in Deo sunt perfectiones, in omni genere sine aliquo addito, ac proinde vocantur simpliciter, & absolute tales, quod voluit Anselmus (cuius vestigijs insitit univèrsa Theologorum Schola) dum vocavit has perfectiones simpliciter simplices.

Distinctio secundum quid est illa, quæ unum 19 prædicatum quod identificatur à parte rei cum altero cognoscitur, non cognito prædicato, cum quo identificatur; ita ut tale prædicatum præcisiue cognoscatur, id est præciscendo ab alio, cum quo habet identitatem, ideoque talis præcisiue distinctio præcisiua vocatur, quia autem non est in omni genere distinctio, quia licet in actu exercito ex vi cognitionis præciscendæ cognoscatur unum prædicatum sine alio, ac suo modo separetur ab eo, quod est proprium cognitionem præciscendæ non cognoscitur prædicatum A, ut distinctum à prædicato B, licet cognoscatur non cognito illo, ac per consequens, ut dixi præciscendo ab eo; unde in omni genere, seu in omni statu non est distinctio, cum non sit talis in actu signato, licet in aliquo statu, scilicet in actu exercito talis sit, & ideo distinctio secundum quid rationis vocatur: exemplum huius sit in cognitione, quæ Beati cognoscunt divinam essentiam, non cognita scientia libera, seu actibus liberis Dei, non enim necessarium indicatur à Theologis, quod Beati qui cognoscunt divinam essentiam simul videant, ac intuitive cognoscant decreta libera per scientiam visionis, quia autem Beati videndo divinam naturam non vident decreta Dei: sed præciscunt in tali cognitione ab illis præcisiue cognoscere dicuntur, talisque cognitio præcisiua vocatur, & ex parte obiecti, quasi resultat distinctio præcisiua, de his enim duabus cognitionibus loquitur titulus quæstionis, quibus positis sit

SECTIO

SECTIO III.

Nostri sententia ponitur, & probatur.

Prima conditio, per cognitionem intuitivam datur distinctio rationis praecisiva; hoc est potest cognosci vnum praedicatum identificatum cum alio, non cognito eo, cum quo identificatur tale praedicatum cognitum. Hec sententia est communis inter omnes fere Theologos, ac DD. qui sanam Theologiam docuere.

Primo probatur haec sententia ex verbis Pauli, 1. ad Corinth. 2. dicentis, sicut quae sunt hominis nemo novit, nisi spiritus hominis; ita quae sunt Dei nemo novit, nisi spiritus Dei; horum enim verborum sensus est, quod sicut interna hominis cogitationes alios latent, & soli ipsi homini nota sunt, ita divina Concilia, & voluntates soli ipsi Deo sunt notae, quare ut ex illo Marci 13. constat, De die illo nemo scit, hoc est de die iudicii, neque Angeli in caelo beati, ignorant, quando futura sit dies iudicii, quia neque cognoscunt decretum liberum Dei decernentis tali vel tali duratione futuram esse talem diem, neque vi solius luminis gloriae, possunt id cognoscere, nisi peculiari-ter à Deo manifestetur, eo quod dependeat ex decreto voluntatis divinae; quare, ut optime ait P. Suarez lib. 2. de attributis negativis, est omnino verum, & non caret temeritate aliqua asserere omnes beatos videre omnia consilia, & omnes rationes divinae voluntatis, quod efficaciter confirmari potest ex illis verbis Jerem. 31. ubi dicitur, Deus incomprehensibilis cogitatu, utique in suis cogitationibus, & in rationibus, & consiliis suarum voluntatum, nam si necessarium esset visa essentia videre omnes voluntates Dei, & omnia motiva eius, quod ammodo comprehenderetur in cogitationibus suis, & ideo nullus Theologorum hoc ausus est affirmare: ex quibus sic argumetur; certissimum in fide est actum liberum divinae voluntatis, & scientiam liberam ipsius, quae identificatur à parte rei cum divina essentia, non necessario cognosci à Beatis ex vi cognitionis beatificae, ratione cuius intuitive cognoscitur divina essentia: ergo iam ex vi cognitionis intuitivae cognoscitur vnum praedicatum non cognito alio cum quo identificatur, divina enim natura, ut dixi, identificatur cum scientia visionis, & cum actu libero Dei, decernente in tali differentia temporis futuram esse diem iudicii, qui cognoscitur divina natura non cognitis illis: ergo fatendum est necessario ex verbis Pauli colligendum esse tanquam certum posse dari distinctionem rationis praecisivam ex vi cognitionis intuitivae, cum talis distinctio nihil aliud sit, quam cognitio unius praedicati, non cognito alio inter quae datur identitas à parte rei.

Secundo probatur ratione, quia dum vnus beatus intuitivè cognoscit divinam essentiam, non comprehendit illam: sed per talem cognitionem intuitivam cognoscit vnum gradum cognoscibilitatis divinae, non cognito alio gradu; nam si omnes gradus cognoscibilitatis divinae essentiae attingeret vnusquisque beatus, sine dubio comprehenderet divinam essentiam, quia secundum D. Aug. comprehendere obiectum, est nihil latere in illo cognoscendum; vnde, si omnem gradum intelligibilitatis attingeret beatus, sine dubio nihil

R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

lateret in Deo cognoscendum, ac per consequens comprehenderetur Deus à beato: ergo per visionem intuitivam cognoscitur vnum praedicatum non cognito alio, cum quo identificatur: sed hoc est praecindere vnum praedicatum ab alio per rationem: ergo per rationem datur praecisio unius ab alio, adhuc ex vi cognitionis intuitivae; atque talis praecisio est distinctio rationis praecisiva: ergo certa est nostra conclusio, ubi asseritur dari distinctionem rationis praecisivam ex vi cognitionis intuitivae. Maior prima, & praecipua de fide est, ut patet ex illo Jerem. 31. ubi dicitur Deus incomprehensibilis cogitatu, ratio autem metaphysica evidens est, quia Deus in omnibus suis praedicatis, & attributis est infinitus, quia essentialiter est independens, & à se: sed vnum ex attributis divinis, est intelligibilitas, seu veritas divina: ergo in ratione intelligibilis est infinitus; tum sic, omnis intellectio est finita, & limitata, licet sit supernaturalis, ex eo quod talis intellectio oritur à principio finito, & limitato essentialiterque dependente ab alio; ergo non habet aequalitatem intellectio omnis creata cum intelligibilitate divina, sed potius infinite superatur talis intellectio ab intelligibilitate de Dei, sicut infinite superatur finitum ab infinito, creatura à Deo: ergo minime poterit intellectio creata comprehendere infinitam intelligibilitatem, quia id quod comprehenditur ab alio, necessario superatur à comprehendente in ea ratione, quia comprehenditur, ut videre est in caelo lunae, quod comprehendit omnia elementa, ex eo quod magnitudine superat ea, & caelum solis comprehendit omnes inferiores caelos, quia magnitudine omnes illos superat; & contra, impossibile est, quod caelum lunae comprehendat caelum solis, ex eo quod caelum solis non superatur à caelo lunae: imo è contra superat illud, & mons magnus non potest comprehendere corporaliter à formica, quia mons magnus superat maxime formicam, hac de causa, illustrat Angelus D. Aug. admirabili comparatione, dum asseruit totum Oceanum se velle comprehendere parva concha: sed divina intelligibilitas infinite superat intellectionem creatam, cuiuscunque beati, sive actualiter existentis, sive possibiliter: ergo impossibile est quod intelligibilitas divina possit comprehendere ab intellectione creata: minor prima est certissima, quia licet Deus indivisibilis sit, habet tamen virtutalem divisibilitatem infinitam, in suis perfectionibus, v.g. omnipotentia Dei, licet sit indivisibilis formaliter, virtualiter tamen in infinitum divisibilis est, & ideo in infinitum participabilis, secundum magis & minus à creaturis, magis enim perfecte participatur omnipotentia Dei ab Angelo, quam ab homine, & ab homine perfectius quam à formica, quod non posset villo modo contingere, si tam formaliter quam virtualiter, talis omnipotentia esset indivisibilis, quia indivisibile, aut totum tangitur, aut nihil; vnde si omnipotentia omnimodo esset indivisibilis, non magis participaretur ab vno termino producto, quam ab alio; vnde Angelus non esset perfectior homine, nec homo equo.

Dices, non ideo non comprehendere Deum, quia aliquis gradus cognoscibilis non cognoscitur, & occultatur; sed potius, quia creaturae possibiles omnes non cognoscuntur; vnde cognita divina essentia nihil deitatis occultatur, nihilque identificatum cum divina natura latet, ac per consequens

8 b b 2 quens

quens cognita divina essentia intuitive solum definit cognosci creatura possibilis distincta à Deo.

23 Sed contra primo, nam ideo non cognoscuntur omnes creaturæ possibiles, quia non cognoscitur adæquate, & totaliter perfectionem, secundum quam continet omnes creaturas possibiles, cognita enim adæquate, & totaliter causa, debet adæquate cognosci adæquatus effectus illius; unde non bene valet, ideo divina essentia non comprehenditur à Beato, non quia non cognoscitur adæquate, quicquid est in omnipotentia: sed quia non cognoscuntur omnes creaturæ possibiles; cum potius dicendum sit non cognosci creaturæ possibiles, quia non cognoscitur adæquate, & totaliter divina essentia, quæ omnes sine dubio cognoscerentur, si divina omnipotentia secundum omnem gradum intelligibilitatis, & secundum omnem rationem contemptivam creaturarum penetraretur adæquate; quare nullo modo difficultas evacuat per solutionem: explicatur amplius, nam v. g. ideo non cognoscitur omne obiectum cognoscibile à Deo, quia non cognoscitur adæquate, & totaliter scientia divina secundum quod terminatur ad illa obiecta, nec potest dici à priori ideo non comprehendere exemplaria divina, quia aliqua creatura, v. g. formica, homo, aut Angelus non cognoscitur, & ideo à priori est verum dicere, ideo non cognosci à Beato omnia exemplaria creata, quia non cognoscuntur adæquate omnia exemplaria, seu ideas divinas, ita ut si illa adæquate, & simpliciter cognoscerentur, omnes creaturæ ideatæ, seu exēplata cognoscerentur, vel comprehenderentur; nam quod potest, & maius potest, & minus intra eundem ordinem: ergo si beatus cognoscit adæquate secundum omnem gradum cognoscibilitatis omnipotentiam Dei, sine dubio poterit, & minus videlicet cognoscere omnes creaturas virtualiter, & imminenter contentas in illa, & ideo cognitio increata Dei cognoscit, & comprehendit omnes creaturas, quia adæquatur, & exhaurit omnes gradus cognoscibilitatis divinæ essentia: ergo.

24 Secundo sic probatur, ad quod supponamus per possibile, vel impossibile, nullam dicere connectionem omnipotentiam cum creaturis possibilibus; aut supponamus aliud impossibile, scilicet quod omnes creaturæ possibiles sint impossibiles, ac per consequens, quod omnipotentia non sit perfectio ac per consequens, quod hic numero non sit Deus, sed sit alius Deus non omnipotens, sicut ipsi adversarii in illa questione, *utrum si Spiritus Sanctus non procederet à Filio*, dicunt non distinguere à Deo in illo casu, sed tunc non fore eundem filium; sic similiter concedatur nobis in nostro casu, non futurum eundem Deum sed alium, utrumque enim eodem modo impossibile est, & quia utrumque impossibile extrinsecum est ad nostrum intentum, à Theologo debet concedi, cum impossibile extrinsecum nihil ponat in re. Tunc sic, talis Deus, qui non omnipotens esset in illo casu, nec connectionem haberet cum creaturis possibilibus, quia nulla ex illis esset possibilis, sed omnes impossibiles, esset absolute infinitus in omnibus suis attributis, ac per consequens in intelligibilitate, seu veritati propria transcendentali, & omnis creaturæ intellectio esset finita, & limitata: ergo infinite superaret intelligibilitas Dei intellectio illam: ergo esset in-

comprehensibilis Deus ex vi suæ infinitatis, & infinitæ perfectionis, licet non esset in illo casu creaturæ possibiles, sed non est minus Deus infinitus nunc ex vi propria, & solius entitatis, quatenus distinguitur à creaturis possibilibus, & sine illis, ac tunc in illo casu esset: ergo incomprehensibilitatem nunc, sicut & infinitatem quæ est summa, & infinita perfectio soli tantæ maiestati digna non emendicat nunc à creaturis possibilibus, sed à se illam habet quatenus distinguitur ab illis; siquidem ex se habet infinitatem, & non emendicatam ab ipsis ad quam sequitur infinita cognoscibilitas, quæ incomprehensibilitas est continens infinitos gradus intelligibilitatis, ratione quorum formaliter in esse incomprehensibilis à creaturis constituitur; quare falsum est Deum non comprehendere à Beatis, quia non cognoscuntur omnes creaturæ possibiles, & ut maxime verissimum, ac certissimum iudicandum est, ideo non comprehendere tam sacrosanctam Maiestatem, quia non cognoscitur secundum omnem gradum cognoscibilitatis, quod expresse asseruit D. Thom. 1. p. q. 12. art. 7. ubi sic ait *in corpore*, his verbis, [nullus autem intellectus creatus pertinere potest ad illam perfectum cognitionis divinæ essentia, quo cognoscibilis est, quia sic patet, unumquodque enim sic cognoscibile est, secundum quod est ens actu, Deus igitur cuius esse est infinitum, ut supra ostensum est, infinite cognoscibilis est, nullus autem intellectus creatus potest Deum infinite cognoscere.] sic Angelicus D. quo quid clarius potest explicari.

25 Vergetur hoc amplius, relatio divina, qua constituitur persona divina, v. g. paternitas nullam connectionem, nec dependentiam habet à creaturis possibilibus, & nihilominus quia infinita entitas est, est infinite intelligibilis, & habet infinitos gradus intelligibilitatis, ratione quorum superat infinite omnem intellectum creatam, & sic est incomprehensibilis ab illa, in qua incomprehensibilitate, non potest dari recursus ad creaturas, nec adversarij in illis poterunt reperire suæ felicitatis palladium, sed potius sine tergiversatione fatendum est ab illis omnem incomprehensibilitatem divinarum relationum consistere in incapacitate cognitionis creatæ ad attingendum omnem gradum infinitæ intelligibilitatis divinæ: ergo à fortiori, si divina essentia non est infinita secundum quid, & in tali genere, ut est relatio divina, sed simpliciter, & absolute, & in omni genere eius incomprehensibilitas non pendebit à creaturis possibilibus, nec eam emendicabit à cognitione vel non cognitione earum, sed necessario in eo sita, ac collocata erit, quod in tam suprema maiestate deat infinite cognoscibilitas, quæ non possit exhauriri à finitudine, & limitatione cognitionis creatæ.

26 Quod autem gradus cognoscibilitatis in Deo identificentur cum divina illa essentia, definitum est sub Eugen. V. contra Gilbertum Porretanum, aureis illis verbis [omne quod est in Deo Deus est, propter summam simplicitatem, & identitatem divinam]; sed illi gradus, & illa infinita cognoscibilitas est in Deo, constituitque ipsum Deum in esse intelligibilis formaliter: ergo est ipsa formalitas divina cum summa simplicitate, ac identitate interalem intelligibilitatem, & divinam essentiam.

27 Sed demus non consistere in eo divinam incomprehensibilitatem, quod in divina illa natura

ra non attingantur omnes gradus cognoscibilitatis eiusdem, quia hoc in opinione situm est; nihilominus hoc quod nunc profluam; certissimum debet haberi.

28 Nimirum, quod minimus omnium Beatorum intuitiue cognoscit Deum, & nihilominus non intuitiue cognoscit necessario actum, quo praedestinavit ipse Deus aliquem ex Sanctis moriturum tempore Antichristi aureola Martyrij coronatum, tum quia talis actus est liber, ratione cuius non necessario videtur à quocunque Beato cognoscente intuitiue Deum; tum etiam, quia mysterium praedestinationis est altissimum consilium, & arcanissimum mysterium, ita ex se occultum, ut non necessario pateat omnes beatos, etiam si clarissima ac fulgentissima divinae visionis luce circumfundantur, ac perscrutantur, quod expresse supponit D. Thom. ut optime adnotavit P. Suarez, nam hoc sensu dixit Angelicus Doctor Beatos non videre in Deo omnes rationes divinae providentiae, per quam res variae ad distinctos effectus ordinantur, ita docet 1. part. q. 12. art. 7. & 8. & 3. part. q. 10. art. 1. ad 4. & q. 8. de veritat. art. 4. ad 1. ubi adducit Dionysium cap. 3. de divinis nominibus, dicentem inferiores Angelos illuminari à superioribus de his rationibus, & consilijs divinis, quia non omnes ea norunt, quod etiam tradit Dionysius cap. 7. de celesti Hierar. Theologi etiam omnes hoc tribuunt animae Christi, tanquam singulare, & proprium eius, quod omnia consilia divina intueatur, & patet clarissime ex communi ratione intellectualis naturae, cui hoc est proprium, ut visa substantia, & facultatibus eius, non fatim videantur liberae cogitationes, & voluntates eius; imo nec videri possint ipsa nolente, nisi à solo Deo vel ex revelatione eius, quod suppono ex 1. part. q. 57. ergo multo magis in divina natura quae est supreme intellectualis, non erit necessarium, ut visa substantia, & voluntate eius, videatur liberum decretum eiusdem, quia non est Deus in hoc inferioris conditionis, ut non possit manifestare substantiam suam occultando suam liberam voluntatem.

Urge, quia minus perfecte videt Angelus beatus Deum, quam videat meam animam, & voluntatem: sed videndo meam animam, vel voluntatem, non necessario videt actum: ergo multo magis in Deo, nam quod in voluntate mea actus sit res distincta, non obstat quominus totum id, quod in me sit per actum distinctum, sit in Deo altiori, perfectiori, & eminentiori modo sine distinctione actus; imo hinc videtur ille actus esse occultior, ut nuper argumentabamur, nã licet relatio, vel denominatio extrinseca, quam addit libera Dei determinatio, ut sic nihil reale addat Deo, tamen cognosci non potest sine creatura libere voluta, quae est distincta à Deo, & ut sic non habet necessariam connectionem cum esse Dei: ergo saltem ex hoc capite, non est eadem necessitas videndi hanc determinationem liberam, quae est de attributis; atque hinc sequetur, non solum non esse necessarium viso Deo videre omnia Consilia eius, nec actus praedestinationis, sed nec etiam aliquem eorum, ratio est, quia eadem est causa, seu ratio in singulis, quae est in omnibus, quia illa determinatio liberae divinae voluntatis habet necessariam connectionem cum voluntate ipsa, & includit habitudinem ad aliquod obiectum, quod non est necessarium cognosci visa divina substantia; denique ratio sumpta ex conditione naturae

intellectualis, & quae probat de omnibus, ac singulis actibus.

Atqui actus ille praedestinationis, nullo modo distinguitur, neque ex natura rei, ut Scotus, & Scotista asserunt, neque realiter ut fides catholica docet, sed habet summam simplicitatem, & identitatem, respectu essentiae divinae, & cum ipsa: ergo ex vi visionis intuitivae cognoscitur divina essentia, non cognito aliquo praedicato, (quale est actus ille praedestinationis) identificato cum divina essentia; unde praecise, seu cum praecisione cognoscitur illa, ex vi talis intuitionis: sed praecise per rationem, est distinctio rationis praecisiva: ergo ex vi visionis, seu cognitionis intuitivae datur distinctio rationis praecisiva.

Dices actum illum praedestinationis cognosci à Beato secundum totum id quod dicit in recto; non autem secundum effectum in obliquo connotatum.

Contra primo, & optime cum P. Mendoza: ergo ex eo praecise, quod ignoretur connotatum, licet totum rectum cognoscatur, est sufficiens principium, ut dicatur absolute cognosci essentia, & absolute dicatur non cognosci decreta libera, seu actum illum praedestinationis, quia haec absolute posse non videri univrsi Theologi fatentur: ergo similiter si ignorantur connotata, licet totus homo sciat, satis erit ut absolute dicatur cognosci animal, & non rationale, quid enim aliud quaerunt, qui investigant distinctionem rationis?

Contra secundo, hi fatentur duo, alterum actus liberos non posse cognosci ex vi essentiae visae, nec item effectus liberos; item dicunt videri posse decreta libera, & in illis futura ipsa item haec futura videri posse in ipsis; unde argumentor, liberi effectus non possunt videri in essentia Dei, possunt autem videri in actibus liberis: ergo actus liber Dei, quando videtur, videtur ut aliqua formalitas ab essentia distincta. Patet consequentia, quia potest videri effectus in actu libero ut libero, & non in essentia ut essentia: ergo actus liber ut liber non est essentia, ut essentia; deinde actus liber, ut liber connotat effectus, qui ex illo sequuntur: ergo cognoscitur cum illis connotatis: sed essentia, ut essentia non cognoscitur cum illis connotatis: ergo illa non sunt connotata essentiae ut essentiae: ergo actus liber, qui illa connotat, aliquid habet praeter connotata existens in recto, distinctum non absolute adhuc per rationem, sed tanquam minus expressum, & magis tandem, qui videt Deum & non decreta, non explicabit Deum nomine synonimo, etiam quo explicabitur Deus idem ut volens à cognoscente illum, ut volentem; ergo est distinctio in nomine conceptor: ergo & in obiecto, quia distinctio conceptuum denominat obiectum distinctum. Tandem totum hoc probatur, quia quando Angelus se cognoscit intuitiue, ille actus non repraesentat Angelum sub omni formalitate, quia illum non repraesentat ut est principium illiusmet cognitionis, quia seipsum non repraesentat: ergo.

Secunda conclusio: ex vi cognitionis intuitivae non potest fieri distinctio rationis negativa, id est qua repraesentantur ut distincta ea quae à parte rei sunt identificata inter se: haec conclusio est sine dubio vera, eam defendunt peritiores Theologi, ut Suar. Vasquez, &c. & est expressa Divi Thom. 1. part. 2. contra Gentes, & 99. de potentia.

Probatur sic primo, quia cognitio intuitiva

Bbb 3 intelle

intellectualis est scientifica: ergo est evidens, certa, & vera perceptio obiecti: antecedens est certissimum, & ideo visionem beatificam asserunt PP. & Theologi communiter esse scientiam beatificam, & illi omnia attributa scientiæ perfectissime attribuunt, quia visio intuitiva est: ergo omnis cognitio intuitiva est scientifica. Consequentia prima sic patet, quia vt in proemialibus Logicæ latissime demonstratum manet, *quest. 1.* attributa, seu prædicata constitutiva scientiæ sunt veritas, claritas, seu evidentia, & certitudo: ergo talis cognitio intuitiva habebit in se veritatem, evidentiam, & certitudinem; evidentiam, vt clare, & perspicue cognoscat obiectum; certitudinem, vt firmiter illi adhæreat; veritatem, vt cognoscat obiectum eo modo quo est, adæquando se cum illo: atqui non potest cognoscere obiectum eo modo quo est talis cognitio adæquando se cum illo, si resulter distinctio rationis negativa ex vi illius in obiecto: ergo non datur distinctio rationis simpliciter, & absolute, de qua egimus in notabili ex vi cognitionis intuitivæ. Hæc minor sic probatur, quia distinctio rationis de qua loquimur contingit ex vi cognitionis, qua cognoscuntur prædicata cum distinctione quam non habent à parte rei, & sine identificatione quam habent realiter, sed hoc est cognoscere rem aliter ac est, & non vt est, adæquando se cum illa: ergo ex vi cognitionis, qua datur distinctio rationis, non cognoscitur res cum veritate, & vt est, sed cum falsitate, ac per consequens sine veritate, quia eadem cognitio respectu eiusdem obiecti, non potest esse simul vera, & falsa, & sic non poterit talis cognitio esse intuitiva, quia cognitio intuitiva est scientifica; ac proinde vera, & sine falsitate, quod autem ex vi illius distinguens absolute cognitionis cognoscatur res aliter ac est, & c. sic patet, quia res est sine distinctione in se, & à parte rei, & cognoscitur cum distinctione; item est cum identitate à parte rei, & cognoscitur sine illa, v.g. cognoscitur aliter ac est, v.g. cognitio ex vi cuius sit chimera, est cognitio rerum aliter ac est, quia cognoscuntur essentia per illam, cum vnione quam inter se à parte rei non habent: ergo si ex vi huius cognitionis distinctionis absolute cognoscitur res cum distinctione quam à parte rei non habet, ergo cognoscitur res ex vi illius aliter ac est.

35 Confirmatur, quia cognitio intuitiva est cognitio rei sicuti est in se, vt patet ex illo Ioannis agentis de visione beatifica, *videbimus eum sicuti est*, hoc est intuitive, sed huiusmodi cognitio non potest esse distinguens absolute, & simpliciter, quia iam talis cognitio tribueret aliquid obiecto, quod non habet, videlicet tribueret illi distinctionem quam in se non haberet obiectum; vnde esset cognitio rei, non vt est in se, sed aliter ac est, v.g. si aliquis cognosceret in Deo quaternitatem personarum, sine dubio quicumque sanæ mentis iudicaret talem cognitionem non esse intuitivam, quia talis cognitio esset falsa, quæ falsitas videtur maxime repugnare perfectioni visionis intuitivæ, quæ cognoscit rem, non addendo aliquid supra illam, quod minime res habet in se, & ideo dicitur cognitio rei vt est in se, cum autem distinctio rationis simpliciter sit distinctio ficta, & addita ex vi cognitionis fabricantis illam rei, cum talis res à parte rei non habeat talem distinctionem; inde est quod tam imperfecta sit cognitio, sicut illa, quæ addit Deo quaternitatem persona-

rum, & illa quæ addit alas, seu pennas corporeas Angelo spirituali, quare sine dubio imperfectione falsitatis contendit cum illa ratione, cuius non potest attingere perfectionem cognitionis intuitivæ, quia talis cognitio debet cognoscere obiectum, non aliter ac est in se, sed vt est, nihil addendo obiecto ficticè, quod secundum se non habeat, & hæc est repugnancia vt per hanc cognitionem formetur distinctio rationis, seu quodcunque aliud ens rationis, quia ens rationis non formatur nisi concipiendo per modum entis id, quod ens non est, quod sine dubio provenit ex imperfectione intellectus, & repugnat perfectioni cognitionis intuitivæ; nam hæc in eo posita est, quod vnumquodque clarissime cognoscat, sicut est cum claritate, nimirum & evidentia, veritate, & certitudine: ergo fieri non potest, vt per huiusmodi perfectissimam cognitionem distinctio rationis simpliciter formetur.

36 Virgetur, nam fieri non potest, vt talis intellectio concipiat spiritualia instar corporalium, quia ille est imperfectissimus modus cognoscendi, qui maxime repugnat perfectioni intuitionis; ad perfectionem enim eius pertinet, vt ita intueatur spiritualia, sicut sunt, & non aliter: ergo pari ratione fieri non potest vt intellectio intuitiva concipiat vt distincta, quæ in re distincta non sunt, quia etiam hic est imperfectus, & alienus modus cognoscendi, quare absolute fatendum est, distinctionem rationis non posse fieri per cognitionem intuitivam.

Dices falsam esse hæc doctrinam, quia necessitas fabricandi hæc entia rationis non provenit semper ex imperfectione cognitionis, sed ex natura, & intrinseca necessitate ipsarum rerum cognoscendarum: hoc patet imprimis in negationibus, & privationibus, ideo enim cognoscuntur per modum entium, quia nihil est per se intelligibile nisi ens, & ideo illa, quatenus non entia sunt, non habent intelligibilitatem, ac proinde vt intelligi possint, oportet vt per modum entium concipiantur; hæc autem ratio communis est omni intellectui, & non fundatur in imperfectione huius, vel illius cognitionis, sed in ipsa natura obiecti intelligibilis, seu cognoscibilis; nam sicut ens est obiectum adæquatum intellectui humani, etiam est adæquatum intellectui humanæ, loquendo de obiecto terminativo, sive primario, sive secundario, & sic non potest aliquid concipere intellectio nisi per modum entis, & ideo hoc modo concipit negationes, & privationes. Explicatur evidentius, omnium perfectissima intuitiva cognitio est divina, & nihilominus concipit vt ratione distincta, ea quæ in re distincta non sunt, cognoscit enim verbum divinum procedere per intellectum, & non per voluntatem, & Spiritum sanctum procedere per voluntatem, & non per intellectum, & similiter concipit hominem creari per ideam hominis, & non per ideam leonis, & c. converso, & sic alijs, atque huic sententiæ favent multi Theologi, qui tractantes de ideis divinis, vel de relationibus, aut de attributis, Deo attribuunt tum respectus rationis, tum etiam distinctiones rationis, per comparisonem eiusdem rei ad diversas, vt videre licet apud D. Thom. 1. part. q. 15. art. 2. ad 2. & tertium, 2. contra Gent. c. 18. & alios Theologos in 1. dist. 35. & 36.

Sed contra cum P. Suarez, & vt alibi latius probavi, falsum esse videtur, quod in argumentis contrarijs assumitur, scilicet formationem distinctionis,

nis, & aliorum entium rationis, non provenire ex imperfecto modo cognoscendi; sed necessariam esse ex vi obiecti intellectus, nam omnis conceptio rei, quæ aliter se habet ex parte obiecti, aut modi repræsentandi, quam res cognita se habeat in se, est imperfecta, & non habet illam conditionem ex vi obiecti, sed ex parte cognoscentis; dico autem ex parte obiecti, & in modo representandi, quia ex parte cognoscentis, & actus, seu entitatis eius fieri potest, ut res aliter formetur in intelligente quam sit in se ob maiorem perfectionem cognoscentis; sic enim cognoscimus materialia immaterialiter, & Deus cognoscit composita simplicissime, & mutabilia immutabiliter, & potentialia per purissimum actum, quia hæc omnia solum dicunt perfectionem in illo esse, quo cognitio perficitur; at vero, quoad representationem obiecti pertinet ad perfectionem cognitionis, ut ita repræsentet illud sicut est, & omnis cognitio quæ recedit ab hac proprietate, non potest id habere ex perfectione cognitionis, sed ex aliqua imperfectione, vel limitatione adiuncta, quia perfectio cognitionis consistit in adæquatione eius ad rem cognitam, & consequenter in representatione eius, sicut in se est, atque hinc fit, ut ex vi obiecti intellectus etiam terminativi nunquam sit necessarius alius modus cognitionis; nam potius illud obiectum postulat cognosci sicuti est, & ideo ens absolutum, quantum in ipso est, non postulat cognosci per modum relativi, quantumvis enim duæ res nobis videantur inter se connexæ, si tamen revera non sunt relatæ, perfectius cognoscuntur prout in se sunt, & cum ea connectione, quam vere habent, sine vlla relatione vera, vel conficta, quam si modo relativi, qui eis extraneus est cognoscantur, & simili ratione ens respectivum per modum absoluti, nec ens positivum per modum negativi, quantum est in se non postulat cognosci per modum negationis, nec è converso negatio per modum positivi, quamquam hoc vltimum difficilius existimatur eo quod negatio nihil habeat entitatis, quæ per cognitionem representari possit, nisi per modum entis singulatur, sed est considerandum perfectam cognitionem negationis non consistere in hoc quod ipsa directe, & per modum entis repræsentetur, sed in hoc quod cognoscendo clarissime entia positiva in eis cognoscantur, seu hoc non esse vnitum illi, absque illa directa representatione ipsius negationis vel privationis, & hoc modo perfectissime cognoscit Deus negationes ipsas, non quidem sine positivo actu, & iudicio, quo Deus intuendo duas res simplicissime inquetur simul vnam non esse aliam, & non esse coniunctam alteri, aut etiam non posse illi vni: sed præter hunc actum Deus non habet alium ratione distinctum, quo apprehendat ipsam negationem per modum entis positivi, hic enim conceptus, neque Deo est necessarius neque ad perfectionem spectat; quod autem Deus dicitur cognoscere ea, quæ sunt tanquam ea quæ non sunt, non ideo dicitur, quia ad cognoscenda ea, quæ non sunt, seu negationes entium, necesse sit Deum cognoscere negationem per modum entis positivi, sed quia tam clare, & distincte cognoscit quæ sunt, sicut ea quæ non sunt, cognoscendo, & iudicando de vnoquoque id quod est vel non est; & præterea, quia Deus non accipit cognitionem à rebus, neque ut ens cognoscat, pendet ex existentia illarum, sed æque cognoscit possi-

bilis sicut existentia, & futura sicut præsentia, vnumquodque tamen ita cognoscendo esse sicut est, vel non esse sicut non est, quia intuitive, ac perfectissime cognoscit.

Dices cum Hurt. cognitionem intuitivam, non in eo consistere quod sit cognitio rei sicuti est, hoc enim est proprium cognitionis quidditative, sed in hoc quod intuitio est cognitio rei ut existentis ad illam immediate terminatam, cui cognitioni repugnat abstractio obiecti ab existentia; si enim illud videt, ut existens, non potest non videre illud absque existentia.

Sed contra, quia cognitio intuitiva opponitur essentialiter cognitioni abstractivæ, non quidem illi per quam cognoscitur præcise, seu abstractivè obiectum, hoc est cognoscendo vnum prædicatum, non cognito alio, cum quo identificatur, ut ex dictis patet prima nostra conclusio: sed illi cognitioni abstractivæ adversatur per quam attingitur obiectum per alienam speciem, & non per propriam immediate entitatem ab obiecto tanquam à causa naturali, ut faciat existimationem sui in potentia vi talis speciei impressæ, hoc enim certissimum est, & ideo communis schola Theologorum absolute affirmat cognitionem, quæ Deum in hac vita intelligimus, esse abstractivam, quia non per propriam speciem divinam illam naturam attingimus, sed per alienam emissam à creaturis, quia ad cognitionem divinam, non immediate, sed mediantebus creaturis, tanquam scale gradibus ascendimus; ideo enim Apostolus proferebat invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, virtus, & divinitas, intuitiva enim cognitio attingit obiectum immediate per propriam speciem, & ideo, ut asserit schola Philosophorum, accidentia cognoscuntur intuitive, quia immediate per propriam speciem cognoscuntur, substantiæ autem minime, sed per speciem accidentium; unde cognitio quæ cognoscit eundem in sententia Adversariorum, & plurimum Philosophorum, & cælum cæruleum non est cognitio intuitiva, sed abstractiva, quia tam colores Iridis quam cæruleum cæli non cognoscimus per species colorum, ac proprias ipsorum, sed per species lucis reflectæ in nubibus, & ideo talis cognitio falsa est, cum potentia visiva cognoscat obiectum aliter ac est, scilicet cælum, quod non habet colorem, tanquam imbutum cæruleo, & lucem reflexam tanquam colorem formantem iridem; contra vero, visio beatifica, cognitio intuitiva, quia attingit Deum immediate in se, non per alienam speciem, & mediantebus creaturis, sed per ipsam divinam essentiam vicem gerentem speciei impressæ, & sic eminentialiter est per propriissimam speciem, in quo opponitur abstractivæ cognitioni.

Ex quibus sic argumentor, illa species propria quæ emittit obiectum ad causandam cognitionem intuitivam, immediate oritur ab obiecto, tanquam à causa naturali, & non libera; ex quo sequitur, ut talis species sit imago repræsentans totum obiectum, cum non possit limitari, nec determinari ad repræsentandum aliquid illius; non à se, cum non sit causa libera, sed naturalis, ratione cuius debet secundum totam suam vim producere talem speciem, ut se ipsum repræsentet, sine determinatione aut limitatione; vel ab alio, quod non est cum talis species non fluat mediante alio; sed immediate ab obiecto secundum adæquatam virtutem repræsentandi; sed species,

species, quæ huiusmodi oritur, est imago naturalis, naturaliter, & sine fallacia representans obiectum, ac per consequens representans ipsum sicut est; quod patet evidenter, quia oritur ab obiecto ut in se est à parte rei, sine defectu, & naturaliter, tanquam propria, & perfecta species ad perfecte obiectum representandum secundum id quod habet, & non secundum id quod non habet, alias non propria, & perfecta, seu naturalis, sed potius fallax, impropria, imperfecta, & non naturalis esset: atqui tota representatio huius speciei non est formalis, sed virtualis; ergo producit speciem expressam, seu cognitionem quæ formaliter representat obiectum, eo modo quo virtualiter representabat species, id est cum illa proprietate ac perfectione, quam habebat species impressa; ergo debet representare obiectum, uti est in se, & non aliter ac est, quia in hoc consistit proprietas perfectio speciei impressæ, quæ est causa speciei expressæ, seu cognitionis, quam non habet in ordine ad se; sed in ordine ad communicandam illam speciei expressæ, siquidem species impressa tota consistit in virtute productiva speciei expressæ, & sic finis adequatus, & totalis ultimus speciei impressæ, est communicare totum id quod habet in virtute speciei expressæ, seu cognitioni, ut formaliter representet obiectum, & formaliter representet illud uti est, cum causa ipsius propria, & naturalis virtualiter representet obiectum uti est, ex quo sequitur evidenter omnem cognitionem intuitivam, quatenus oritur per propriam speciem, & quatenus in hoc opponitur abstractivæ, quæ est per alienam speciem, necessario debere representare obiectum uti est in se, quare male asserunt adversarij, asserentes cognitionem intuitivam, non esse rei, ut est in se.

Deinde falsum est id quod affirmant, dum aiunt, non cognitionem intuitivam; sed quidditativam esse illam, quæ cognoscimus rem ut est in se, nam quinque sensus externi, ut visus, auditus, & gustus, &c. non possunt cognoscere quidditative sua obiecta, quia cognitio quidditativa est rei secundum sua prædicata essentialia, & secundum suam quidditatem, & percipiendo quid sit quidditas rei, quod non possumus percipere sensus, cum quidditas sit extra obiectum adequatum sensus; obiectum enim adequatum sensus est sensibile, quidditas autem ut quidditas est intelligibilis, & non sensibilis; unde solum ab intellectu, & non à sensibus potest percipi, quis enim poterit dicere, visum cognoscere prædicata essentialia coloris, minime enim percipit rationem entis, rationem accidentis, rationem qualitatis, quæ sunt prædicata essentialia lucis, & coloris, ad quæ tendit tanquam ad obiecta, quapropter nullo modo percipit visus quidditatem quæ in his prædicatis essentialibus consistit, & nihilominus potentia visiva, & cæteri sensus cognoscunt sua obiecta intuitive, quia cognoscunt per propriam speciem; atqui non possunt cognoscere per propriam speciem, ut iam probatum manet, nisi cognoscant obiecta propria uti sunt; ergo cognitio intuitiva, & non quidditativa, ut male asserunt adversarij, est cognitio rei uti est in se.

Præterea, reducere cognitionem intuitivam in tam angustos cancellos, ut solum sit cognitio rei existentis, ut existentis, falsum omnino est; Deus enim propriissime, ac perfectissime intue-

tur omnia, ut passim asserit mille locis Scriptura, ubi certissimum est loqui de cognitione intuitiva, ut tam Explicatores quam PP. unanimiter fatentur, sed inter omnia obiecta divinæ intuitionis, non solum sunt existentia, & præsentia; sed etiam possibile, & futura, ut nostra fides docet, secundum illud, (cognoscit ea quæ non sunt tanquam quæ sunt, & absentia tanquam præsentia) & ratio evidens est, quia etiam futura cognoscit Deus immediate, & in se per propriam speciem eorum, scilicet per divinam essentiam, vices gerentem speciei propriæ emissæ ab obiecto, ratione cuius etiam Prophetæ intuebantur futura propria intuitionem; siquidem cognoscebant illa per species immixtas eorum intellectibus propriè representantes ipsa obiecta, in quo supplebat Deus, tanquam Author supernaturalis immixtionem specierum, quæ deberet fieri ab obiecto futuro, si actu existeret; unde talis cognitio propriè intuitiva est, licet non sit existentis rei, & præsentis in ea differentia durationis, quæ tum à Deo, tum à Prophetis tale obiectum cognoscitur, & ideo asserendum est omnibus vera rationis lance veritatem ponderantibus cognitionem intuitivam non esse solum illam, quæ cognoscit rem existentem, ut existentem, & præsentem ut ex dictis colligitur evidenter: sed potius dicendum esse illam fore cognitionem intuitivam, quæ terminatur ad obiectum immediate percipiendum, per propriam speciem eius, siue tale obiectum sit possibile, siue actuale, & præsens, siue futurum, & absens, quod sic evidenter convincitur; nam in sententia omnium Theologorum, non datur in Deo, nisi duplex scientia, alia necessaria, & alia libera; necessaria dividitur in scientiam simplicis intelligentiæ, & in scientiâ conditionalem, libera autem vocatur scientia visionis, cum hoc ordine ut scientia visionis seu libera, quasi virtualiter transeat de statu necessario ad liberum, per decretum Dei determinans futuritionem, & existentiam futuram rei; cum hoc ordine, quod una & indivisibilis scientia libera, seu visionis sit illa quæ terminatur ad rem, siue futuram siue existentem, ita ut non detur novus transitus à scientia futurorum ad scientiam existentium siue præsentium intra eandem spheram scientiæ visionis, ita ut scientia præsentium sit intuitiva, & futurorum non sit talis. Primo quia iam darentur novæ alie divisiones scientiarum, quas Theologi non cognoscunt, ita ut dividatur scientia libera, seu visionis in scientiam intuitivam, & non intuitivam; cum in sententia sana Theologica, omnis debeat esse intuitiva in Deo. Secundo, quia iam datur aliqua mutatio in tempore, seu ut melius loquar, aliqua scientia de novo adveniret in tempore Deo, quam non habebat ab æterno; sequela hæc sic patet, quia nulla creatura existit ab æterno, cum omnis in tempore existat, & sit præsens; atqui antequam sit obiectum existens, & præsens scientia non est intuitiva, quia talis vocatur ex eo quod terminetur ad præsentiam, & existentiam obiecti; sed talis præsentia, & existentia obiecti est in tempore, & non ab æterno; ergo de novo incipit esse intuitiva scientia divina visionis in tempore, cum ab æterno non fuerit intuitiva, quod est maximum inconveniens, quia omnis perfectio intrinseca Dei non incipit de novo in tempore in Deo, quia semper fuit ab æterno in ipso.

Dices,

42 Dices, nullum esse inconueniens, quod scientia illa sit in tempore intuitiva, siquidem non distinguitur à parte rei ab ipsa scientia futurorum, & necessaria, quia hæc additio non est à parte rei sed per rationem, cum nulla detur distinctio inter extrema.

Sed contra, quia maximum inconueniens est quod divina illa, ac eminentissima natura habeat aliquam perfectionem in tempore, quam non habuerit ab æterno, distinguatur vel non distinguatur à divina essentia. Explicatur exemplo evidentissimo, decretum liberum divinæ voluntatis nullo modo distinguitur à parte rei ab ipsa divina voluntate, & nihilominus maximum esset inconueniens, maximaque argueretur imperfectio in Deo, ex eo quod inciperet de novo velle aliquid in tempore quod non voluerat ab æterno, quam imperfectionem alij sic explicant, dicendo verum quidem esse non fore mutandum Deum, ex eo quod aliquid de novo inciperet, vel desineret velle, aut intuitive cognoscere; inde tamen sequi in eo vicissitudinis obumbrationem, quæ non minus repugnat Deo quam propria mutatio, vt dicitur Iacobi 2. sed hæc explicatio supponit vicissitudinis obumbrationes esse quid distinctum à mutatione, & aliquid minus illa, quod tamen est præter mentem Iacobi, & expositionem omnium, vt bene aduertit P. Valquez, nam vicissitudinis obumbratio nihil aliud est quam mutatio, quæ vmbra vicissitudinem affert, sumpta metaphora à motu solis; nam quia Deum vocauerat Patrem luminum, subdit non esse concipiendum Deum ad modum solis, in quo est perpetua mutatio, & vicissitudinis obumbratio, quod vno verbo explicuit Aug. in lib. de speculo, dicens, apud Deum non est transmutatio, & ideo apud Deum cursus temporis, diei, noctisque alternationis, nequaquam variatur, & sane seclusa metaphora, & loquendi modo, non videtur posse medium inter veram, & realem mutationem, ac immutabilitatem, quia illa quæ dicitur vmbra vicissitudinis, vel est in aliqua vera re, & sic erit vera mutatio, vel est tantum in respectu rationis, & sic non repugnat Deo, & consequenter non est vicissitudinis obumbratio, de qua Iacobus loquitur: hæc vltima propositio patet respectu creationis, vel Domini.

43 Igitur hæc difficultas aliter expedienda videtur in scientia, & aliter in voluntate, in scientia enim est res longe facilior, vt bene aduertit P. Suarez, nam cum ipsa in se non sit libera sed necessaria, non potest intelligi in ea, quod de novo aliquid sub eam cadat, vel sciri desinat, nisi facta aliqua mutatione in ipsa scientia, nam si supponatur obiectum scibile divina scientia talis, tamque perfecta est, vt naturaliter, ac necessario repræsentet omne verum, seu omne scibile, quia propter si in tempore Deus aliquid sciret, quod ab æterno non scivisset, necessarium esset ei addi aliquam scientiam realem, quia nihil scire potest, nisi per realem scientiam: aut ergo illam non habuit ab æterno, & sic oportuit in tempore addi, aut si ab æterno illam, ab æterno illi repræsentavit tale obiectum, quia naturaliter repræsentat, & eadem ratione, quod ab æterno repræsentavit perpetuo repræsentat, neque enim potest accidere variatio in tali respectu ex parte solius obiecti, nam omnis futura in alio.

R. P. I. de P. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

qua differentia temporis quantum est ex se semper est scibilis, quia ex æternitate verum est dicere illam fore in tali tempore, & eadem ratione omnis veritas tam affirmativa quam negativa circa res futuras, aut non futuras, siue à nobis per modum futuri, siue præsentis, aut præteriti significetur ex se scibilis est obiective, seu terminative, & ideo quod non semper; sed de novo sciatur non potest provenire, nisi ex imperfectioe scientiæ, quæ vel limitata est, vel à rebus ipsis est sumenda, quare talis additio scientiæ intuitivæ supra scientiam visionis de futuro, non potest fieri quasi per extrinsecam additionem obiecti, quia eo modo est additio, quo est res addita: atqui scientia intuitiva non est aliquid extrinsecum, vt videre est in creaturis: sed perfecta, & intrinseca scientia: ergo additio talis scientiæ est intrinseca additio, & illa debet esse necessario per reale augmentum ipsius scientiæ, & consequenter per veram, ac realem mutationem, quapropter hoc ipso, quod divina scientia infinita sit, illi repugnat talis mutatio, seu novitas, quia illa scientia nec sumitur ab obiecto, neque ab illius reali existentia pender: sed ex se nata est repræsentare illud, etiam si duratione distet, semperque, ac naturaliter repræsentat quidquid in obiecto repræsentabile est; & eadem ratione non potest tali scientiæ accidere diminutio, quia vnumquodque repræsentat pro eodem tempore, & modo quo futurum, vel non futurum est.

De voluntate ergo nunc breviter agam, quod 44 maximam difficultatem habet, eo quod etiam sufficienti proposito obiecto determinatio eius libera sit, & ideo quamvis actus eius sit infinitus, & per se sufficiens, sine vlllo addito reali ad tendendum in obiectum creatum, non appareret vnde necessarium sit liberam eius determinationem esse æternam, & ab æterno in se positam si aliquando futura est, aut in æternum duraret, si semel est.

Dices, imo hoc ipso quod Dei volitio, & determinatio libera, non est aliud quam entitas eius necessarium est, vt quod semel vult semper ab æterno, & in æternum velit, quia fieri non potest vt obiectum quod semel Deus vult pro aliqua differentia temporis, pro illa non sit futurum, & consequenter, quod ab æterno, & in æternum sit ita futurum, seu habeat eandem habitudinem ad existendum pro illa differentia temporis: ergo neque etiam fieri potest vt si semel Deus vult tale obiectum, non velit illud ab æterno, & in æternum.

Sed hæc ratio non videtur efficax, aut enim fundatur in hoc, quod volitio Dei libera est simplex eius entitas, necessaria absque additione realitatis liberæ, vel in hoc, quod posita veritate obiecti futuri pro aliqua differentia temporis fieri non potest, vt non sit futurum eo modo, quo cadit in divinam voluntatem. Primum non sufficit, nam hoc est cuius rationem inquirimus, cum Deus per eandem entitatem necessariam possit libere velle res ad extra sine vlla additione, cur non possit hic tam in tempore, quam in æternitate præstare, cum non maior additio in vno quam in alio requiratur, & consequenter nec maior mutatio; vnde tantum abest vt ex illo principio expediatur hæc difficultas vt potius ex illo nascatur,

47 Si vero adiungatur secundum de obiecto, videtur petitio principii: obiectum enim seu effectus volutus à voluntate divina pro aliqua differentia temporis, ideo infallibiliter erit, quia voluntas divina est efficax, & immutabilis; si autem decretum Dei esset mutabile, etiam si ab æterno esset positum, non esset absolute infallibiliter futurus effectus eius, sed tantum sub conditione, nempe si in eo decreto Deus persistat, neque hoc erit contra efficaciam divinæ voluntatis: sed potius ex illa nascetur, quod mutato decreto cesseret effectus; igitur principium petitur dum immutabilitas decreti probatur ex immutabilitate obiecti semel voluti; unde hæc responsio minime evacuat difficultatem.

48 Quapropter ea explicatio ad hanc difficultatem semper mihi maxime placuit, quæ videtur D. Thom. lib. 3. contra Gentes, P. Molina. 1. part. & omnium perfectissime P. Suar. lib. 1. de essentia Dei, dicimus enim argumentum hoc concludere ex huiusmodi variatione decreti, aut terminationis liberæ, non inferri immediate physicam mutationem in divina voluntate, ut aliqui DD. improbabilius volunt; inferri tamen quandam, ut ita dicam, animi inconstantiam, & imprudentem modum se gerendi in suis decretis, quæ imperfectiones non minus repugnant Deo quam physica mutatio; imo cum Deus dicitur absolute immutabilis, non minus intelligitur de morali, quam de physica immutabilitate, & in homine imperfectio existimatur, quod in suo proposito mutabilis sit, non solum propter variationem physicam entitatis actus, sed multo magis propter animi inconstantiam in qua consistit mutatio moralis de qua loquimur; unde si per impossibile per eandem actus voluntatem posset homo variare propositum, & nunc velle, postea nolle, magna esset imperfectio, ex hac vero imperfectio immediate inferri potest, voluntatem sic mutabilem esse finitam, & non rectam per essentiam, & inde tandem mediate concludi potest nunquam accidere illam mutationem, quasi moralem sine mutatione physicâ, qualiter autem hæc imperfectio in Deo sequeretur ex illo volendi modo sic breviter explicandum est, considerando enim Deum, ut habentem in æternitate suam præsentia per simplicem intelligentiam omnia obiecta creata diligibilia secundum omnes gradus, modos, ac rationes convenientiæ, quæ in eis excogitari possunt, necessarium fuit divinam voluntatem non manere, quasi suspensam in suis decretis liberis circa talia obiecta, sed in alterutram partem inclinari, aut volendo illa, aut definite non volendo, seu volendo ea non esse, aut ea non amare, vel non eligere. Primo quidem, quia probabile est in omni voluntate esse id necessarium, postquam de re amanda vel non amanda, agenda vel non agenda plenum consilium, aut iudicium habitum est. Secundo, quicquid sit de alijs de divina voluntate videtur hoc certum, tum quia tam velle, quam nolle, & tam non esse, quam esse creaturæ est ex arbitrio Dei: debet ergo esse perfecte voluntarium: ergo directe per positivum actum, & non tantum indirecte per suspensionem actus; præterea, quia illa totalis suspensio decreti liberi revera est imperfectio, & à D. Thom. 1. contra Gentes, cap. 82. vocatur potentialitas quædam, duobus enim modis concipi potest illa suspensio: primo ut includat voluntatem

definitam, nihil amplius in ea re, ut sic proposita deliberandi, aut definiendi, & hæc non est suspensio de qua agimus, sed est decretum liberum, quod in Deo tum immutabile erit sicut alia, & revera est voluntas non agendi, id quod ita relinquunt: alio ergo modo intelligitur illa suspensio totalis, quia nec voluntas tunc alterutram partem elegit, nec decernit quod sibi postea eligendum sit, & huiusmodi animi suspensio sine dubio est magna imperfectio, & videtur præterea ex imperfectio intellectus oriri, qui nimirum nondum plene consideravit, aut iudicavit quicquid ad aliquid decernendum requiri potest; nam si omnia considerasset, & certus esset nihil amplius desiderari posse, non posset voluntas in ea suspensione manere.

Dices, ex libertate sua id posset.

Dico non habere libertatis usum locum, nisi 49 ubi sub ratione boni repræsentatur; in ea vero suspensione posito prædicto statu intellectus, nulla ratio boni apparere potest, & maxime in Deo, qui perfectissimo modo, & summo cum iudicio, & ratione in omnibus se gerit: unde interrogabo rursus, an cum fingit Deus suspendere deliberationem suam, quasi in futurum præsciat quid postea electus sit, necne nam si præsciat illa, est in intellectu imperfectio, & in voluntatem non posset inducere illam scietatem, & solitudinem de futura deliberatione; si vero iam præscit ex æternitate futuram deliberationem suam, irrationalis, & impertinens est talis suspensio: relinquunt ergo necessario habere Deum ab æterno omnem perfectionem intrinsecam scientiæ, qualis est ratio intuitionis, ne detur aliqua additio de novo intrinseca in Deo in tempore, quia sequeretur mutatio magna, ut ex dictis patet; ex quo sequitur evidenter scientiam intuitivam ut talem, non respicere actum præsens, & existens obiectum, quia cum ab æterno nullum obiectum creatum extiterit, quia omnia in principio creata fuerunt, & in tempore sunt præsentia, & existentia, sequeretur evidenter scientiam in Deo esse de novo in tempore intuitivam, ac per consequens addi hanc intrinsecam perfectionem scientiæ divinæ in tempore, relinquuntur etiam necessario habere Deum æternum decretum in alterutram partem volendi, vel nolendi aliquomodo quodlibet obiectum sibi proportionatum, quæ necessitas non pendet ex eo quod decretum liberum addat vel non addat aliquid reale, sed absolute sequitur ex plenitudine scientiæ, & ex perfecto voluntario, & perfecto modo, quo Deus in omnibus se gerit, etiam si simplicissime, & sine vlla reali additione voluntatem suam libere determinet. Tota hæc ratio sic confirmatur, quia potentia visiva intuitive cognoscit suum obiectum, & nihilominus non respicit illud existens ut existens reduplicando supra existentiam, & præsentiam, quia existentia ut talis reduplicative non est obiectum potentie visivæ, sed intellectus, obiectum enim potentie visivæ solum est lucidum vel coloratum.

Vergetur, nam v. g. si aliquod obiectum visibile non existat, Deus autem supplendo defectum illius obiecti immitteret speciem illam, quam immisurum esset obiectum, si à parte rei existenter, ut subvenire solet per miraculum supernaturaliter, tunc autem in illo casu visio illa sine dubio esset intuitiva, cum esset cognitio per propriam

priam speciem, & nihilominus obiectum non existeret: ergo cognitio intuitiva non petit necessario, & essentialiter obiectum actu praesens, & existens. Præmo hoc efficacius, recordatio alius obiecti, per speciem conservatam in memoria post destructionem, seu decisionem existentiae, & praesentiae obiecti, ratione cuius tale obiectum nullo modo est praesens, & existens, sed praeteritum, in omnium sententia est cognitio intuitiva, & minimum in sententia adversariorum; cum sit per propriam speciem emissam ab obiecto immediate attingendo illud, & non per aliam, & nihilominus obiectum talis speciei actu non existit: ergo cognitio intuitiva potius est illa, quæ terminatur ad obiectum immediate in se per propriam speciem, quam eaque ponitur ab adversariis, videlicet terminata ad obiectum existens, & praesens quatenus tale.

Vltimo principaliter probatur nostra sententia auctoritate, & ratione B. Th. q. 7. de potentia, art. 6. quæ etiam insinuat Bernardus lib. 5. de considerat. ad Eugenium, quia ex infirmitate, & imperfectio- ne nostri intellectus, dum cognoscit per ænigma, & alienas species provenit, ut rem integre, sicut est cognoscere non valeat, & ideo quasi per partes ipsam apprehendat, & dividat cognoscendo in ipsa simplicissima natura distinctionem, & divisionem quam ipsa à parte rei non habet, vel ex varijs effectibus varie naturam eius cognoscens, vel ex diversis creaturarum perfectionibus diverse ipsam intelligens: ergo quoties intellectus rem apprehendit, & obiective eam sibi facit cognitione sua præsentem, sicuti ipsa est, nec ea alio modo intellectui obijciatur, quam est in se, si ipse in se nullam habeat distinctionem, & pluralitatem, sequitur nec in intellectu vidente ipsam sicuti est posse distingui, aut distinctam apparere, sed in intellectu Dei, & Beatorum Deus apparet eodem modo, quo in seipso est, v. g. si in se nullam habet distinctionem attributorum ex natura rei, nullam habebit in intellectu ipsius Dei, & cuiuscunque ipsum intuitive cognoscentis: ergo ex vi cognitionis intuitivæ nulla potest dari distinctio rationis absolute, & simpliciter talis: claudant totum hoc rationum agmen aucto D. Bern. verba, mirum immodum nostram sententiam confirmantia, quæ in hunc modum protulit, S. D. loco supra citato, [Nobis autem (inquit) quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere vnum, occurrit veluti quadruplicatum; facit hoc speculum, & ænigma per quod solum videre datur, cum autem videbimus faciem ad faciem, videbimus, & intuebimur sicuti est, nec enim iam tunc fragilis acies mentis nostræ quantumlibet vehementer intendens aliquatenus resiliat, dissiliet in suam pluralitatem colliget se magis, adynabit, conformabitque unitati illius, vel potius unitati illi, ut vna vni facies respondeat faciei:] hæc mellissimus Doctor; quibus ita perspicue rem totam expressit, ut nec ab ullo scientiæ Theologicæ studio ali- quid clarius dici, aut desiderari poterit, quibus verbis hanc nostram sententiam, apprimè, & efficaciter confirmat, cum ait, multitudinem illam perfectionum, quam varijs vocibus de Deo significamus distinctionemque ac divisionem, quam in ipso concepimus provenire ex infirmitate nostri intellectus adhuc cognoscentis per ænigma, & per alienam speciem; eam vero multitudinem,

R. P. I. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

non mensuram in nostro intellectu, cum Deum intuebimur, hoc est, cognitione intuitiva cognoscamus, videbimusque sicuti est, quod sane, ut certissimum debet relinqui.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta Adversariorum solvuntur.

Ad argumentum primæ sententiæ, & ad primum respondeo distinguendo antecedens, distinctio rationis præcisiva nego, de qua loquuti sumus prima conclusione; distinctio, quæ simpliciter, & absolute vocatur talis concedo; unde argumentum illud non est contra nos, sed potius est pro nostra conclusione.

Ad secundum argumentum respondeo quod si adversarij loquantur de distinctione rationis, quæ simpliciter talis est, recte procedere ipsos; unde sequela ab ipsis eruta vera est; quod autem si loquantur de distinctione præcisiva falso procedunt, quia ratio cognoscit id vnum prædicatum non cognito alio, non est ex eo quod cognitio non sit intuitiva, quia ut patet ex prima nostra conclusione, etiam in cognitione intuitiva potest contingere, ut vnum prædicatum exprimitur, non expresse alio, cum quo identificatur illud, in quo consistit talis distinctio præcisiva, sed potius ex eo quod talis cognitio non sit adæquata, nec comprehensiva obiecti; cum autem visio quæcunque creata Dei, & quæcunque cognitio intuitiva illius, non sit comprehensiva divinæ naturæ, inde evenit quod ex vi illius cognoscantur in Deo aliqui gradus intelligibilitatis, non cognitis alijs inter quos datur identitas, quod & contra evenit in cognitione Dei, quæ comprehensiva est Dei ipsius, summamque adæquationem habet cum intelligibilitate divina, ratione cuius non potest Deus attingere seipsum, quasi per partes, sed potius se totum, & totaliter cognoscit, & ideo nulla fit distinctio rationis præcisiva, per cognitionem divinam, nec mirum quod non valeat argumentatio à cognitione intuitiva creata ad increatam, cum in utrisque non detur eadem ratio formalis comprehensionis, ratio nimirum, quia ubi non est eadem ratio formalis, non potest sequi idem effectus formalis.

Ad confirmationem respondeo negando omnem distinctionem esse denominationem extrinsecam, ut patet ex dictis in Logica, distinctio enim rationis, quæ simpliciter talis vocatur, est verum ens rationis, ac per consequens non est denominatio extrinseca in obiecto, sed potius entitas intrinseca in ipso, ficta tamen, ac fabricata per intellectum, distinctio autem præcisiva nihil aliud est, nisi cognitio intrinseca in potentia, percipiens vnam formalitatem in obiecto, non percipiens alia, cum qua identificatur prima formalitas cognita; ex parte autem obiecti est denominatio extrinseca, cum autem hæc in obiecto vna sit, vnam tantum formam requirit, & non duplicem, quod autem vnicæ sit talis denominatio sic patet, quia quædo cognoscitur vna formalitas in Deo, non cognita alia, ex vi illius vnicæ cognitionis denominatur illa formalitas cognita, & quia illa ipsa cognitio non attingit aliam formalitatem, alia formalitas denominatur non cognita non à cognitione attingente alia, sed potius

à negatione quæ consequitur talem cognitionem in quibus denominationibus consumatur tota distinctio præcisiva, vnica forma cognitionis, & alia forma negationis; quare falsum est dicere ad talem distinctionem requiri duplicem cognitionem vt formam.

54 Ad secundam confirmationem respondeo non esse contra nos, sed potius pro nostra secunda conclusione.

55 Ad tertium absolute negatur maior, quia non solum distinctio præcisiva non requirit respectum ad res realiter distinctas, sed etiam nec distinctio simpliciter rationis, vt patet ex dictis superioribus questionibus. Vnde nil contra nos adducit, quia si loquitur aduersarius de distinctione rationis simpliciter, pro nostra secunda conclusione pugnat; si autem loquatur de distinctione præcisiva, falso procedit. Ad confirmationem ex D. Bernardo, respondeo esse absolute pro nobis, vt patet ex ultimo argumento pro secunda nostra conclusione, quo eisdem verbis D. Bernardi nostram sententiam efficacissime confirmauimus.

56 Ad quartum respondeo concedendo maiorem, & negando minorem; ad probationem illius nego vtamque partem, falsum enim est asserere cognitionem præcisivam non esse intuitivam, neque attingere obiectum immediate, & in se, quia licet sit cognitio intuitiva, bene potest cognoscere in obiecto vnā formalitatem non cognoscendo aliam, in quo consistit distinctio præcisiva, ad quam non est necesse vt à parte rei actualiter, & formaliter correspondeat in obiecto actualis separatio, & divisio formalitatis cognitæ, à formalitate nō cognita per talem intellectionem, solum sufficit & inadaquatio ex parte nostræ intellectionis cum obiecto, & fundamentum seu capacitas ex parte obiecti, & quasi per partes cognoscatur à cognitione imperfecta, & inadæquate attingente ipsum, quia vero cognitio intuitiva potest esse inadæquata respectu obiecti, potest illud præcisive cognoscere, præcipue, quia ex parte obiecti correspondet non repugnantia, vt inadæquate concipiatur ab ipsa, ratione cuius potest ex vi cognitionis intuitivæ dari distinctio præcisiva.

57 Ad confirmationem respondeo quod non solum ideo necessaria cognoscuntur attributa, & personalitates, quia visio beatifica sit intuitiva, sed quia attributa, & personalitates sunt de prima constitutione divinitatis, de prima enim integrativa constitutione sunt relationes, & perfectiones attributales, in Deo enim duplex esse datur, aliud essentiale, aliud quasi integrale, essentiale enim constat prædicatis essentialibus Dei, vt sunt ens, substantia, vivens, intellectuale à se, integrale enim esse est secundum quod in sua quasi integritate constituitur Deus, v. g. in esse trini, iusti, misericordis, sapientis, &c. & hoc esse quasi integrale, licet comparatum cum essentiali possit dici secundarium esse, nihilominus comparatum cum esse eminentiali dicitur primatum, de quo latissime nobis agitur, tractu de incomprehensibilitate Dei, vbi data opera agitur quid sit illud esse eminentiale, quasi integrale, & essentialiale, nunc autem dicta sufficiant ad præsentem difficultatem, in illo autem esse eminentiali, includitur gradus cognoscibilitatis, & actus liberi Dei, qui licet cognoscatur Deus, non necessario cognoscuntur, quia rebus contentis eminenter in Deo

æquivalent, licet formaliter sint in Deo, ideoque per æquivalentiam esse eminentiale Dei constituent, quia autem quod simpliciter, & absolute eminenter continetur in Deo, quia est quid distinctum ab ipso, vt sunt creaturæ possibiles, cognitio Deo non necessario cognoscitur eodem modo id quod æquivalet tali esse eminentiali, vt sunt gradus intelligibilitatis, & actus liberi, non necessario cognoscitur à Deū vidente, & hæc est ratio potissima, quare ab opposito necessario vi deantur attributa personalitates, & prædicata essentialia Dei cognitio intuitive ipso, quia sunt de prima constitutione sive integrali, sive essentiali, ac proinde non sunt æquivalenter eminentialia, & ideo in alijs rebus præcisiva, licet talis visio beatifica sit intuitiva, vt videre est in actibus liberis, & gradibus intelligibilitatis; vnde certissima est ratio nostra, videlicet quod non ideo visio beatifica necessario attingit attributa, & personalitates, quod solum ipsa sit intuitiva: sed quia tales personalitates sunt de prima integrali constitutione Dei, in quibus nulla datur præcisio, vt patet ex dictis: sed ex hoc non debet argui: ergo in alijs rebus non potest dari cognitio præcisiva, ex eo quod intuitiva sit, vt iam demonstratum manet nostra prima conclusione.

Deinde, respondeo visionem beatificam esse 58 perfectissimam intuitivam cognitionem, ratione cuius perfectionis necessario attingit omne quod est formale in Deo, in quo non potest præcisive versari, hanc autem perfectionem non attingeret alia cognitio intuitiva, & ideo bene posset procedere præcisive, ac præcisendo obiectum, vt patet ex supra dictis; quare non bene valet visio beatifica, quia perfectissima est, licet intuitiva, non præcisindit personalitates ab essentia: ergo nulla alia intuitiva cognitio, licet imperfectior illa, poterit attingere præcisive obiectum proprium, quia à particulari ab universalis nulla sit illatio vera; vnde potiori iure hæc erit mala consequentia, visio beatifica non præcisindit in Deo attributa, &c. à Deo ergo nulla cognitio intuitiva poterit præcisindere aliquam formalitatem à suo obiecto.

Ad quintum negatur antecedens, vt patet ex dictis in Logica.

Ad ultimum, dico falsissimum esse asserere ad 60 distinctionem rationis requiri pluralitatem conceptuum quod supra clare probavi.

Ad omnia argumenta secundæ sententiæ vno 61 verbo respondeo non esse contra nos, sed potius pro nobis; probant enim efficaciter nostram conclusionem primam, & minime labefactant secundam; solum adverte falso asserere aduersarios in ultimo argumento, dicendo posse aliquem intuitive cognoscere subiecta nominis, quin cognoscat differentiam cum qua identificatur illa ratio humanitatis, cognitio enim intuitiva rei non terminatur ad universalis, sed ad singularia.